



Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisvrgensis

Continens Primordia Christianæ Religionis Per Boiarium Et Loca quædam
vicina; Catalogum videlicet & ordinariam successionem Archiepiscoporum
Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium,
Patauiensium, ac Brixinensium

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Serenissimo Ac Illvstrissimo Principi Ac Domino, Domino Wilhelmo Comiti
Palatino Rheni, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13553



SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO, DOMINO VVILHELMO COMI-
ti Palatino Rheni, utriusq; Baucarie Duci, Domino
suo clementissimo.



FFERO, SERENISSIME PRINCEPS,
Metropolim Salisburgensem, iam pridem à
me promissam, opus quidem non meæ in-
ventionis, aut ex meo natum ingenio, sed
ex probatissimis & grauislimis scriptis, ma-
xime vero peruetustis Imperatorum, Re-
gum ac Principum diplomatibus, & tabulis
authenticis, fabulosis quorundam narratio-
nibus resectis, syncera fide, magna quæ diligenter, quantum per
publicanegotia licuit, per me collectum: continens Christianæ
Religionis & Catholicæ fidei per Boiarum ac finitimas prouin-
cias prima quasi semina ac originem: item progressum, propa-
gationem, & in hanc usque diem conseruationem. Quæ qui-
dem omnia secundum diuinam gratiam, cui meritò, quicquid
sumus, acceptum ferimus, vel cum primis tribuendum censeo
erectioni, fundationi, & institutioni tot insignium Ecclesia-
rum, amplissimorum Episcopatum & Monasteriorum. Quo-
rum præsules Rempublicam Christianam doctrina & virtute
plantarunt, sudore & labore in eam, quam videmus, formam
cuixerunt, sanctioris vita exemplo, Deo incrementum dante,
in hæc usque secula promouerunt. Quæ vigilantia, solertia &
pietate non plebeiorum modo hominum sed nobilium quoque,
quin & Principum, Regum, atque Imperatorum animos tanto
in religionem Zelo, tanto in patriam amore inflammârunt, ut
plærique magnam opum suarum partem, aliqui vniuersam
substantiam, nonnulli cum bonis semetipso quoque Deo in-
holocaustum obtulerint, sibi que de Mammona iniquitatis ami-
cos

cos, à quibus in æterna tabernacula deficients recipentur, comparare voluerint. Ut nimirum videri queat, quid quibusdam nostri seculi hominibus in mentem venient, ut hæc Religionis Catholice pia principia, solidaque ac firma fundamen-
ta non labefactare solum, sed penitus abolere, & funditus e-
uertere nitantur. Cum certum sit, sicut his rationibus & me-
dijs Maiores nostri ad Christi fidem sunt conuersi: ita iis subla-
tis & deletis, posteros in omnis generis errores, hæreses, vete-
remque adeò paganismum relapsuros. Guius rei non obscura
præludia passim his periculosissimis temporibus conspicimus
& experimur.

Porro hæc quoque Historia plurima nobis Antiquitatum Germaniæ, præsertim amplissimi Boiorum olim regni, nunc au-
tem Ducatus, luculentissimaque testimonia ob oculos ponit. Antiquitates dico non priisci illius seculi florentis adhuc Reipu-
blicæ Romanæ in his partibus Imperij, (cuius inuestigationi plæriique diu multumque insudarunt, qui tamen præter varias variorum opinions & ambiguas conieæturas vix quicquam cer-
titudinis assoluti videntur) sed medij, vt ita dicam, temporis,
quo fides Christiana apud nos cum sanctissimorum Pontificum studio ac consilio, tūm etiam ope & præsidio maximorum Re-
gum & Principum, plantari ac propagari cœpit. Quorum stem-
mata, nomina, familiae ac res præclarè gestæ neutiquam tene-
bris inuolui, sed perpetuæ consecrati memoriae, publicè summa
cum laude prædicari, ac posteris ad imitationem ceu viua exem-
pla proponi, meritissimè debent. Eorum vestigijs laudatissimi Maiores tui, præcipue nostra ètate, pientissime memoriae auus VVilhelmus, & pater Albertus prudentissimi, fortissimi, ac reli-
giosissimi Principes, inhærentes, tam Ecclesias quam Ecclesia-
sticum ordinem in amplissima ditione sua defendere, prouincias suas ab hæresibus longè lateque serpentibus mundas, ac in Catholica religione integras conseruare, omnibus viribus stu-
duerunt: quos tu non solum æquare, sed pia æmulatione supera-
re contendis.

Accipe igitur Serenissime Princeps, sereno vultu Ecclesia-
sticam hanc Historiam, quæ vt spero currenti calcar addet, &
tuo patrocinio suffulta, non indigna videbitur, quæ à viris Ca-
tholicis, Religionis, Patriæ, ac Antiquitatis studiosis eò libentiùs
legatur. Omnipotens Deus te cum yniuersa tua posteritate, ad

sanctissimi nominis sui laudem, Catholicæ Ecclesiæ utilitatem & consolationem, & salutarem totius prouinciarum pacem, quam diutissime incolumem conseruet. Vale Princeps optime. Monachi, Prid. Cal. Iunij. Anno Christi M. D. XX CII.

Serenissimæ Cellæ autem

Deditiss. Seruitor & Consiliarius,

VViguleus Hund à Sultzenmos

ALBER-